

**Dissertatio inauguralis medica de ortu exanthematum ... / auctor et respondens Georg. Henric. Toemlich.**

**Contributors**

Toemlich, Georg Heinrich, 1759-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Ienae : Ex officina Fickelscherrio-Stranckmanniana, [1785]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bwrs95v9>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA*

DE

# ORTV EXANTHEMATVM

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO  
D O M I N O

# CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL. REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS

D. XXI. MARTII C<sup>1</sup>5<sup>1</sup>CCLXXXV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

*AVCTOR ET RESPONDENS*

GEORG. HENRIC. TOEMLICH  
SVNDHVSO - GOTHANVS.

I E N A E

EX OFFICINA FICKELSCHERRIO - STRANCKMANNIANA

КОКТЕЛЯ СВЯЩЕННОГО ПРЕДМЕТА

# ИСКУССТВО ПРИЧАСТИЯ

МАЛО

БЫТЬ СПОСОБЕН КОГДА БЫ БЫЛ СПРОСОУ  
СВЯТОГО ОДНОГО УЧУЩЕ ОЧИЩЕНИЯ  
О ИННОСИ

# ОБРАЗОВАНИЕ ПРОФЕССИИ

МАКСИМАЛЬНОГО ПРИЧАСТИЯ  
СВЯТОГО ОДНОГО УЧУЩЕ ОЧИЩЕНИЯ



## PROOEMIVM.

**N**aturam dedisse hominibus ingenium, rerum novarum vel incognitarum curiosum, iam pri-  
dem sapientes et agnoverunt, et publice pro-  
fessi sunt, et unumquemvis sua ipsius docet conscientia.  
Neque id humano generi vertendum est vitio, sed lau-  
di potius ducendum, si quis in tanta mentis imbecillita-  
te, rerum autem cognoscendarum multitudine atque  
obscuritate veri inveniendi cupidus atque curiosus  
velit videri atque haberi. Etenim tunc demum vitio-  
sa putanda est curiositas, si magis versatur in rebus no-  
vis, minus in scitu cognituque dignis, eam quidem ob-  
causam, quia aut nova sunt, aut talia esse videntur. Hinc  
novitatis studium in arte nostra tot errores et opinio-  
num monstra, tot assertionum phasmata ac enunciatio-

## PROOEMIVM.

nes precarias peperit, nihil ut tam absurdum vel ridiculum sit, quod non aliquando dixerit, vel crediderit medicus. Noli ergo mirari, L. B., si in sequentibus invenias longum opinionum recensum, quibus et veteres, et recentiores usi sunt auctores in explicandis exanthematum originibus. Quae etsi per se plus minusve probabiles videntur, tamen, si omnia mecum pensitaveris, facile perspicies, aut plures sententias inter se esse conjungendas, aut chemicorum ad exemplum partem meliorem veluti extrahamus. Visum ergo mihi est, posito tyrocinio, et uberiori explicare exanthematum originem, et meam qualemcunque sententiam post clara nomina in medium adferre. In quo negotio perarduo et diffcili faciam, quae potero: Nam in magnis etiam voluisse sat est.



DISSERTATIO  
INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
ORTV EXANTHEMATVM

S. I.

**E**xanthema est vox graecae originis, *ἀπό τὰ ἔξανθην*, quod efflorescere significat, emergere, erumpere; et commune quarumvis eruptionum nomen est, atque de humoribus potissimum solet dici, qui ex corporis intimis ad cutim migrant, ac pustulas quasdam excitant, certe aspritudines. Inde apparent, petechias, maculas scorbuticas, et alias extravasationes minime ad exanthemata, ut mihi videtur, referri posse. Sed nolo in his multus esse, attamen non dubito, fore plerisque, quibus hic libellus academicus in manus inciderit, longe iucundissimum

mum, si potiores veterum ac recentiorum hoc de argumen-  
to sententias huc allatas inveniant.

## §. II.

**HIPPOCRATES** a) hocce vocabulo usus est ad impetigi-  
nem, vitiliginem et leucen significandam, neque pro ab-  
scessu, sed morbo haberì voluit. Similiter ἐξανθήσιες gene-  
ratim ab illo b) pro quavis pustularum eruptione dicuntur.  
In Galeni Exegef. obsol. voc. Hipp. c) vocabulum ἀνθεῖ  
idem est, quod ἐρυθημα, et in ejusdem introductione sub  
nomine τῶν ἐις τὴν ἐπιφανειαν ἐξανθέντων comprehenduntur  
leuce, alphos, lichenes, lepra. **PHAVORINVS** d) ἐξανθημα derivat  
απὸ τὸ ἄνω θεῖν ἐν τῷ ἀνζάνεθαι, et addit ἀνθος κατὰ μεταφο-  
ρᾷ τὸ χρῶμα, sicut et apud **SOPHOCLEM** ἡνθισμένον pro χε-  
χεωματισμένον est. **ARETAEVS** e) usus est hac expressione, διεξαν-  
θήματα μικρὰ, ἀραιὰ, de oris ulceribus, quae vulgo aphthas di-  
cunt. **DIOSCORIDES** f) vero has coniunxit cum reliquis ulceri-  
bus, quae in cute capitis nasci solent. Et iterum c. 100. occur-  
runt ἐξερυθρὰ ἐξανθήματα, nec non Ψυδεάκια consociavit.  
Et ipse **ARCHIGENES** aquid **GALENVM** g) exanthema dicit  
commune nomen esse quarumcunque affectionum ulcerofa-  
rum, et asperarum in mento, sua sponte provenientium.

Si-

a) Prorhet. II. §. 49. T. I. Ed. Lind.

b) Aphorism. 20. Lib. III.

c) Edit. Chart. p. 85. T. II. Conf. Ill. *Gruner. Morbor. Antiquitates* p. 25.

d) Lexic. p. 198. ed. *Cammer.*

e) De sign. et caus. Morb. acut. I. 9. p. 7. ed. *Bœrhaav.*

f) Parabil. I. 105. p. 27. ed. *Saracen.*

g) Compos. Med. Sec. Loc. I. 8. p. 464. T. XIII.

Similiter MOSCHION *h)* ἐξανθήματα, Φλυκτίδες σὺν ύγροις  
ἔλκεσιν, in puerorum morbis posuit. Occurrit etiam haec  
vox semel apud ARISTOTELEM *i)*, tanquam genus, cūjus quae-  
dam species sit λευκὴ. Apud PLUTARCHVM *k)*, vero elegan-  
ter ἐξάνθημα de perturbationibus animi dicitur. Hinc GOR-  
RAEVIS *l)* hisce veterum exemplis usus, exanthema sic expli-  
cat: ἐξανθήματα, papulae, sunt eruptiones leves humorum per-  
cutim; sed illae diversorum omnino generum sunt. Nam et  
Φλυκτίδαις, et Ψυδράνια, et ἐπιφυκτίδαις, et λευχῆναις, et alia  
multa tumorum genera comprehendunt. Similiter post Grae-  
cos CELSVS *m)* pustulas vocavit, atque illas fieri maxime ver-  
no tempore docuit, simul autem dixit, earum plura esse ge-  
nera, et modo circa totum corpus partemve aspredinem fie-  
ri, similem his pustulis, quae ex urtica vel sudore nascun-  
tur, etc. An variolae, ac miliaria recentiorum etiam verbis  
hisce sint comprehensa, in medio relinquendum puto, quo-  
niam minime pertinet ad scopum meum, et iam satis illustra-  
tum fuit a Viris Clarissimis, SYDENHAMO, *n)* WERLHOFIO, *o)*  
SWIETENIO, *p)* KRAVSIO, *p)* GRVNERO *r)* aliisque multis.

## §. III.

*h)* Περὶ γυναικῶν. παρ. p. 22. Gynaec. T. I. ed. Wolf.

*i)* Hist. Anim. III. II. p. 257. T. II. ed. Du. Vall.

*k)* Sympos. VIII. Qu. 9. p. 733. T. II, ed. Xyl.

*l)* Definit. Med. p. 109.

*m)* De med. Lib. V. 15. p. 336. ed. Krause.

*n)* Opp. univers, p. 240. Lugd. Batav. 1741. 8.

*o)* Disquis. med. et philolog. de Variol. et Anthrac. Hannov. 1735. 4.

*p)* Comment. in Boerhav. Aphorism. Lugd. Batav. 1772. 4. maj. T. V.

*q)* Dissert. de Variol. extirpat. insitioni substituenda. Lips. 1762. 4.  
Cf. Marescotti Tr. de variolis. Bonon. 1723. 4.

*r)* Morbor. Antiquitat. Vratislav. 1774. 8.

## §. III.

Quod vero attinet ad originem exanthematum, tot fere adferuntur modi, quot scriptores hanc sibi explicandam sumserunt. Etenim **GALENVS** <sup>f)</sup> leprae, scabiei et elephantiasis ortum ex humore melancholico deducit, et post eum fere omnes eius adseclae. Sub auctore **PAVLLO** <sup>t)</sup> scabies et lepra Graecorum ex atrabilario humore nascitur. Simili pene modo lepram arabum explicat **EBN SINA** <sup>u)</sup>, lepram esse arbitratus morbum, ortum ex bile atra et per omne corpus diffusa, unde intemperies partium, forma et figura, et tandem etiam ipsa continuitas corrumpatur. Idem auctor et alii Arabes pro causa materiali variolarum ac morbillorum assument, reliquias sanguinis menstrui, quo nutriuntur foetus in utero, excrementitias, pro causa efficiente autem naturam vel calorem naturalem, qui hisce sordibus stimulatus, universum sanguinem exagit, velutique in fervorem conjiciat, unde sequitur ista materiae acris ad cutim migratio et varium exanthema. Quae ut probabiliter dicta esse viderentur, **EBN SINA** et omnes fere Arabes exemplo musti usi sunt, eamque sententiam ad naturam variolarum et morbillorum explicandam transtulerunt. Unus **AVENZOAR** duplicem sententiam sequi videtur, quarum una consentit cum ea, quam **EBN SINA** assumferat, v. Medicinae Tract. 7. Cap. 2., altera vero v. ult. cap. libri omnino abhorret. Assumit enim, foetum in utero non nutriti sanguine menstruo, ut vulgo creditur, sed sanguine totius corporis purissimo et dulcissimo, inde tamen quodammodo infici, et demum post partum ad cutim deponi. Ut taceam **PARACELSI** deliria de realgore, **Helmontii** insanam archaeorum fabricam, aliorumque paradoxa, quibus ausi sunt ortum exanthematum explicare. Habentur enim hodie pro commentis, quibus nulla veri vis inest.

## §. IV.

<sup>f)</sup> Com. in *Hipp. L. de Humor.* III. p. 574.

<sup>t)</sup> De Re Medic. IV. 2. p. 502.

<sup>u)</sup> Can. III. Fen. IV. Tr. 3. C. I.

## §. IV.

Neque minus ridicula eorum est opinio, qui ad explicandam naturam exanthematum adhibuerunt fermentationem quandam miasmatis maligni et nostrorum humorum. Modum enim, quo illa quidem fit, exesse nesciunt chemici, multo minus ergo hanc notionem ad occultam illam exanthematum naturam recte definiendam transferre poterant. Probabiliter hanc doctrinam explicuit quidem cl. BRINCKMANN, sed extra omnem dubitationis aleam non posuit.

## §. V.

Sed dantur et alii, iisque magni nominis medici, qui quandam humorum corruptelam, eamque variam pro causa horum cutis vitiorum varia statuunt. Nam FORESTVS *x*) exanthemata quaeque ab humoribus pravis, falsis, nitrofisis, acutis, erodentibus, modo tenuibus, modo crassis, aut ex utrisque permixtis, vel in utero matris ante partum progenitis, vel post partum ex malo cibo evenire censet: BONNETVS *y*) opinatur, materiam morbificam esse humorem lymphaticum, in glandulis cutis constanter residentem; PLATERVS *z*) statuit manifesta qualitate operando humores aliquos scabiei, herpetis, et carbunculi diversa genera, et in illis vi sua erodente, vel etiam adurente, aliove modo perverso pustulas cum cutis rosionibus, interdum et exulcerationibus procreare; HOFMANNVS *a*) accusat serum impurum, viscidum et acre, quod in tenuissimis cutis tubulis stagnando, nerveasque fibrillas lacinando et levem

B

ibi

*x*) Obs. Lib. V. obs. 18. Schol.

*y*) Sepulchret. Lib. 4. Sect. II. Obs. 2. Schol.

*z*) Pag. 698. de doloribus.

*a*) Med. Rat. system. Tom. 4. Part. 5. Cap. 5. §. 7.

ibi inflammationem producendo varias rosiones, pustulas et exulcerationes efficiat, adeoque singulos istos cutis morbos cum hactenus enarratis symptomatibus excitare valeat; MORAGNIUS b) rosionem majorem iis propriam esse putat, quibus non ab contagio scabies oritur, sed ex erodentibus, quae in sanguine redundant, corpusculis, ut vel ipsum inficiendo materiam sebaceam non modo ineptam ad muniendum sua inunctione adversus irritantes sudoris sales, sed contra ad irritandum et erodendum aptissimam reddant. Haec fere fuit communis scholae medicae doctrina.

### §. VI.

Alii causam exanthematum, praecipue scabiei, a solis animalculis repetierunt, eorumque descriptionem figuramque ad vivum expresserunt. Sic CALMETVS apud LINDINGERVM c) putat, causam proximam leprae innumerabilem esse vermium copiam, oculo non, nisi armato detegendorum, qui pruritu vehementi et ingratissimo cutim et internam, et externam, musculos et nervos ipsos paullatim afficiant. Haec quidem, ut videtur, ex fide LEVWENHOEKIL Is enim auctor est, se quaedam parva insecta ope microscopii in pustulis scabiosis vidisse; et nunc alii frequentiam scabiei exercitum infestantis non amplius mutationi aëris aut qualitati victus, quibus sunt obnoxii milites, sed solo contagio verminoso, quod a paucis iam infectis propagaretur ad alios, repetendam esse putarunt. Sic MONROVM d), PRINGLIVM aliasque medicinae militaris scriptores scabiem explicasse legimus, et ab illo tempore haud pauci ejus originem posuerunt in exiguis animalculis cuti infestis, malumque tantum tali contagio fieri,

non

b) De Sedib. et Caus. Morb. Epist. 55. num. 12.

c) Lib. de Ebraeor. Vet. Art. med. P. I. §. 16. p. 33. sqq.

d) Beschreib. der Krankh., welche in den britischen Feldlazaretten am häufigsten gewesen. S. 216.

non vitio fluidorum vel solidorum censuerunt. Theoriam hanc omnium optime exposuit Cl. PLENZI<sup>e</sup>), neque multum differt cl. NYANDER<sup>f</sup>), qui ipse hanc enunciationem precariam ad omnes morbos contagiosos transferre, atque per varias observationes stabilire conatus est. Hac via ergo phaenomena varia, quae non modo in scabie, sed et aliis affectionibus occurunt, facile explicari posse credunt celeberrimi Viri, praecipue contagii multiplicationem adeo citam, communicationem per solum attackum, et curationem per remedia vermis necandis apta. Sed quamvis multum ponderis habere videatur haec sententia, tamen supersunt multae difficultates <sup>g</sup>), quae nos impediunt, quo minus illam perlubenter et sine dubitatione assumamus. Etenim sic ortum exanthematum planiorem factum esse, non video. Nam necesse esset, ut assumas, vermes esse nostro corpori congenitos (id quod recentiores quidem auctores docuerunt) sed adhuc sub judice lis est. Fac vero, hoc ita se habere, ut Cl. BLOCH et GOETZIO videtur, iterum quaerimus, num ovula aut vermes jam evoluti miros hosce producant effectus? Si prius est, scire lubet, quomodo haec ovula tantas turbas in vasis cutis minimis excitare queant, cum sanguini aut saltem sero inhaereant, exanthemata vero vel ab ipsa origine vehementer pruriant? Si posterius verum est, i. e. ab rosione vermium vas*a* affici, nova in mentem venit dubitatio, qua via ad vas*a* veniant? An per circuitum humorum? Si hoc est, cur unice in vasis vel glandulis cutis deponuntur, cum nec desint alia loca his similia, ubi residere possint, v. c. glan-

B 2

du-

e) Tr. I. de contagio. §. LXXXVIII. sqq.

f) vid. Car. LINN. Amoenitat. acad. Vol. 5. Diss. 82. p. 92.

g) Cf. cl. CRELL. Disp. Contagium vivum. Helmstad. 1768., et cl. BALDINGER Pr. Exanthemata non a vermis oriri. Ien. 1772. rec. in Ill. GRUNERI Delect. Diss. Med. Ienensi. Vol. II. p. 89. et KURELLA Beweis, dass die Ausschlaege nicht von Wurmern entstehen. Berl. 1750.

dulæ aliarum gartium? Aiunt hujus sententiae patroni, ob parvitatem canalium non posse haec seminia verminosa amplius progredi, ibidemque remanere cogi. Quidni etiam aequæ in aliis, quæ certe tenuitatem illorum vasorum æquant? Quidni cernuntur talia exanthemata in partibus internis? Sed si extrinsecus illi hospites in nostrum corpus adveniunt, uti PRINGLE, MONRO etc. in explicatione scabiei per contactum putarunt, succurrunt observationes Cl. MVRRAY *h)*, HOEMANNI *i)* et aliorum; quorum primus solide demonstravit, vermes in lepra quidem inventos, nec inde morbum hunc contagiosum fuisse; alter vero *lepra omni tempore, inquit k)*, valde contagiosa habita, ideoque leprosos ab hominum consortio segregandos, et ex urbibus ad extera loca relegandos censuerunt medici. Ego autem aliquoties et nuper modo literatum vidi, qui veris leprosis symptomatibus affectus per annum, et ultra cum suis domesticis sine horum noxa versatus est. Porro sic minus explicari possunt phaenomena, quae scabiem retropulsam vel insitam sequantur, itemque MORGAGNIUS vidit in scabiosis pruritum cessasse, dum viguit febris; rediisse, dum declinavit; Item in virgine quadam facra scabiem ingravescere coepisse, quotiescumque sanguis mitteretur. IVNKERVS *l)* observavit, succum betulae ubertim hauustum, nec non thermas Wolkensteinenses, corporibus, in primis floridis, scabiem inducere solere: Id quod etiam aquis martialibus factum esse novimus. Non rarum est, inquit Cl. IACOBI *m)* videre infantes simul anchoribus, et glandularum tumoribus laborare. Observatur tum saepius tumorum augmen-

*h)* De vermis in lepra obviis Comment. p. 9.

*i)* Med. rat. syst. Tom. IV. p. 5. Cap. 5. §. 24.

*k)* l. c.

*l)* Consp. Med. Theor. pract Tab. 68. in Caut. n. 19.

*m)* Diss. sub Praef. Cl. ISENFLAMM habita de morbis cutaneis p. 9.

mentum, cum minus solito fluunt achores, earum vero diminutio, ut primum majori copia humorem fundunt haec ulcera, Hisce argumentis commotus Cl. MURRAY n) sententiam illam bene moderandam censuit. In scabie acaros fuisse repertos, inquit, nemo, qui LINNAEVM hujus reitatem esse norit, in dubium vocabit; quanao vero inquiritur, an mali hujus causae sint, mihi probabile videtur, quod antequam exanthemata in cute erumpant, corruptela quaedam humorum praecedat semper, quae si ad certum terminum pervenit, acaros in caseo vel farina latentes allicit, ut in cute nidum quaerant. Ingressis autem istis, cutim rosione sua, et excretis liquidis, malum eos pejus reddere existimo.

### §. VII.

HAFENREFFER o) repetit origines horum vitiorum ab humoris salsi et acriis ad cutim aditu indeque infecuta rofione. Neque multum ab hac doctrina recedit LORRY p), cum specificam seri odori acrimoniam et hinc factam cutis aspredinem appellat.

### §. VIII.

Nuper demum cl. UNZER q) ingeniose lateque demonstravit, in quacunque contagione non omnes omnino, sed singulares humores affici, et in scabie quidem succos quarundam cutis glandularum in corruptionem pronas esse, ideoque veluti hic deponi tales particulas, quae admistione contagiae materiae vere multiplicantur.

B 3

§. IX.

n) L. cit.

o) Nosodoch. cutis. p. 98. III.

p) Von den Krankh. der Haut. P. I. p. 434.

q) Einleitung zur allgemein. Patholog. der ansteckenden Krankheit. p. 12.

## §. IX.

Recensitis nunc potioribus de exanthematum origine commentis, facile intelligitur, magnam adhuc superesse dissensionem apud auctores et veteres, et recentiores. Quot enim capita, tot opinionum commenta reperiuntur ac leguntur. Alii enim multiplices exanthematum natales statuunt, alii vero communes omnium assumserunt, et ex uno fonte repetierunt; in quibus facile princeps est cl. PLENICZ. Gratissimum ergo fuit, a tanti viri partibus stare, nisi omnino, certe ex parte. Nam dissentire in explicanda causa materiali debuimus. Etenim evolutionem seminii verminosi, tanquam causam efficientem, assumere non licet, evolutum vero, si quando fuerit inventum, effectum esse statuimus.

## §. X.

Restat itaque, ut nostram qualemcunque de ortu exanthematum sententiam in medium proferamus. Quae ut eo facilius perspiciatur, quaedam de structura cutis praemittenda putamus. Constat vero illa filis vasculosis nerveis, et brevibus laminis recte cohaerentibus. Densior est exterior facies, ob aeris rerumque illam contingentium frictionem, quae simulac foetus ex utero egressus fuit, immo vero in ipso utero iam fieri solet liquorum aditu, quos ovulum continet; Vnde fit, ut vasculorum exhalantium orificia cutanea coarctentur, ac circuitus, qui in fetu est, quodammodo retardetur, ne nimia partium serosarum ac volatilium copia e sanguine abeat, interior autem, deficiente pressione, sensim ita laxetur, ut continua degeneratione cutis in textum cellulosum resolvatur, nec usquam certi sint utriusque limites. r) Quae cum, praeter vim contractilem, implexos habeat haud paucos nervorum ramulos, mirum esse debet nemini, inde dimicare

r) Vid. de Haller Elem. physiol. Tom. V. Lib. XII. Sect. I. §. II. p. 3.

manare vim quandam se et constringendi, et extendendi, quam primum res externae vel animi motus urgent. Cutis haec partes corporis et externas, et internas circumdat; siquidem per foramina varia penetrat, et nunc variam formam et naturam inducit, sed ubique vasorum secernentium osculis instructa. Id quod in tunica intestinalum villosa evidentissime demonstrari potest. Sed et hic, et in aliis corporis locis identidem inter se coeunt ac veluti implicantur, et verisimiliter cum vasis resorbentibus, sive lymphaticis anastomosin faciunt. Hae vasorum implicationes vocantur glandulae. Cutim praeterea tegit et ipsi firmiter adhaeret cuticula, facile post damna reparabilis, squamosa, insensibilis, tenuis, pellucida, foveolis multis excavata, foraminibus bibulis et exhalantibus innumeris instructa, pilis fere ubique hirsuta, vasis autem et nervis orbata, variam in variis partibus referens crassitatem. Inter veniam hanc impressionum externalum moderatricem, et cutim ipsam praesto est contextus reticularis **MALPIGHI**, undiqueque expansus mucoque obductus, pulposis nervorum extremitatibus, cum vasis non unius ordinis, aut unius magnitudinis, sed inter se, et forma, et usibus summe diversis complicatus. A singularibus illis instrumentis singularia pendent phaenomena. Nemo enim nescit, colorum varietatem atque sensibilitatem in textu reticulari residere; excretionem aliquam pro diversa ejus fabrica majorem minoremque in cute peragi, omnes consentiunt. Excretio autem illa, cuius maxima est in oeconomia animali dignitas, quae primum locum tenet in actione vasorum cutaneorum, est transpiratio et insensibilis, et sensibilis. Extremitates nimirum arteriarum in cute dispersarum et multiplicatarum exhalant semper liquorem serosi generis, quod partim injectionibus anatomicis, partim innumeris comprobatur phaenomenis. Nam quo uberior est insensibilis transpiratio, eo parciora observantur cetera corporis excrements, et vice versa. Sic quae alvum sollicitant et movent, imminuant insensibilem transpirationem. Quademcumque ratione obstipentur cutis spiracula, minuantur necesse est communis egestio, et humor perspirabilis aut ali-

aliorum derivetur, aut in textum cellulosum cutis irruat, sic intra cutim et epidermidem effusus, vel subsistet, donec exeat redeat, vel morbos varios plus minus graves efficiat.

### §. XI.

Haec ergo excretio perturbata et depravata ad morbos cutis cum excitandos, tum fovendos, magistra pathologia, quam maxime confert.

Nimirum decompositio particularum, quae sanguinem constituunt, tunc est effectus primarius inde pendens. Etenim simulac causa occasionalis occurrit, quae sanguinem ita corrumpit, ut illae partes cohaesionem naturalem amittant, non possunt non secessum facere, ac cutim ipsam infestare. Id quod praecipue fit in producendis exanthematibus. Nam irritatio, quae sub initio morbi deprehenditur, nihil est, nisi effectus partium acutarum, per decompositionem sanguinis, praecipue seri, huc depositarum. Quae quia nequeunt vasa cutis minima pertransire, debent in illis consistere, atque rodendo spasmum efficere, qui impedit, quo minus serum exhalabile per vasa resorbentia ad communem humorum fontem redeat. Hinc nascitur congestio serosa, quae in vasis, aut in folliculis, aut in glandulis etc. turgorem facit, eumque pro ratione diversa causae irritantis plus minusve insignem. Si particulae irritantes figuram habent cubiformem, uti salculinarum, irritatio minus est pungens, sed magis pruriens. Quae autem gaudent figura magis acuta, uti particulae nitrosae, majorem efficiunt punctionem, ideoque et congestionem auctiorem. Inde fit, ut epidermis a turgidis cutis folliculis quodammodo recedat, tuncque insequantur bullae, variolae, exanthemata miliaria, scabiosa etc. Partes itaque salinae, quae in sero, tanquam vehiculo proprio, continentur, sunt causae vitii huius praedisponentes. Quamdiu-

men.

menstruo illi inhaerent, tam diu per vasa minima sine incommodo circumire possunt: Simulac autem causa occasionalis supercedit, quae harum particularum secessum citat, tunc sensim pedetentimque arctius coeunt, et figuram sui generis assumunt. Haec evolutio aut mutatio eodem modo fit, quo crystallisatio salium, nec cogitari sine irritatione atque rosione vasorum minimorum potest, quoniam iis propria figura acuta est, quae et vasa cutis, et nervos adjacentes afficere, quin punctione quadam laedere debet. Nascitur hinc pruritus, qui sub initio exanthematum incidit, et quaedam veluti inflammatio. Porro haec irritatio non aliter agere potest, nisi ut vasa, quibus incommodeat, constringat, et spasmum gignat, quo vasa resorbentia occluduntur. Sic causa proxima congestionum serofarum in procli vi est. Hoc vero serum, in vasis hisce vel folliculis cutis haerens, exhalat sensim partem tenuiorem, et abit in formam multiplicem. Quod attinet ad causas procatarreticas, e multis aliquas memorasse sufficiat, v. c. exercitia corporis paullo valentiora, praesertim ante aetatem maturam, vigilias immodicas, crebras tempestatum vicissitudines et alternam caloris frigorisque mutationem, aerem frigidum et humidum, vel iusto calidorem, frigus diuturnum etc. Haec enim turbant circuitum sanguinis, vel corruptionem particularum relinquendo, vel inducendo novas partes, quae sua affinitate ceteras, sanguini insidentes, vinculis suis exsoluunt. Hoc praecipue in phaenomenis variolarum perspicuum est. Nam simulac miasma aliquod humoribus immiscetur, siue id fiat per respirationem, ut multis videtur, siue per resorptionem, siue per insitionem, siue per quamcunque viam aliam, oritur inde decompositio fluidorum; Quae si dissolvit particulas sero inhaerentes, producit variolas benignas. Sin autem lympham afficit, solutio sanguinis universa fit, unde febres malignae, variolaeque malignae proveniunt etc. At aliquis obiciat, quomodo fit, ut vasa cutis externa sola sic afficiantur, non aequa interna, nempe glandulae, quae praesunt internis partibus? Incidunt et haec quidem phaenomena, sed rarius; cuius rei est haec ratio, quod laxitas ho-

rum vasorum multo maior est, quam externorum; hinc particulae irritantes multo faciliter exire ac diffundi possunt, quam **ex** habitu cutis externo magis stipato ac coarctato. Et sic mihi phaenomena omnium exanthematum multo faciliter explicari posse videntur, quam si ceteris hypothesibus fidas, modo mecum assumere velis, **exanthemata a spasmo, vasa cutanea irritante gigni.**



THE

# THESES.

I.

*Insitio variolarum, quia naturales non arcet, et  
perpetuam epidemiam facit, a magistratu summo inter-  
dicenda videtur.*

II.

*Ars culinaria hodierna plurium morborum foe-  
cunda mater est.*

III.

*Nemo hominum vivendi rationem, a Deo pae-  
scriptam, nunc obseruat.*

IV.

*Felix esset res publica, medicis si non indigeret,  
sed semper quisque sui ipsius esset medicus.*

V.

*Medico subiacet orbis.*

VI.

*Sectionis caesareae euentus bonus tantum non  
semper fortuitus est.*

VII.

**T H E S S.**

**VII.**

*Magnetismus animalis non, nisi ars lucrofa est.*

**VIII.**

*Urina nigra non semper est signum mortis.*

**IX.**

*Surditas in febribus biliosis et putridis minime  
est timenda.*

**X.**

*In quolibet morbo removendo viae excretionis in vi-  
cem, sed prudenter substitui possunt.*

**XI.**

*A matre prolem lactari salubrius est, quam a  
nutrice.*

---